



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ
Principia Et Usum**

De iudiciis criminalibus

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii [u.a.], 1766

Titulus VI. De Processu Defensivo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68185)

vel inquisiti inter se, vel testes cum inquisito; nam frons sæpe prodit mentem mali consciam: & plerumque maximorum criminum rei, tam effrontes non sunt, ut absque ulla oris aut sermonis mutatione ferre possint præsentiam ejus, quem scelerum suorum conscium sciunt. Is tamen, qui per confrontationem deberet convinci, legitimis iudiciis commissi criminis gravatus sit oportet, præsertim si alioquin honesta famæ sit, & confrontatio fieret cum infami homine: vehementer enim per talem confrontationem fama honesti viri sugillatur.

**TITULUS VI.
DE PROCESSU DEFENSIVO.**

Conf. Decretal. Lib. V. Tit. 34.

§. 72.

Conceditur Reo Defensio, **Æ**QUITAS & sana ratio exigat, ut Reo accusato vel Inquisito concedantur Defensiones, admissis etiam Advocatis, quorum opera uti possit ad formandos pro sua innocentia articulos. Unde Acta & Protocolla Inquisi-

De Processu Defensivo. 83

quisitionis edi debent Reo, & ejus Advocato: nec sine magna iniquitate negari hæc communicatio posset ob præensum stylum contrarium Curia 85.). Et id quidem concedi debet, etiamsi Inquisitus in Processu Informativo fassus fuisset crimen: hic enim posset excipere contra propriam confessionem, quod fuerit extrajudicialis; non coram competente Judice, vel coram eo non sedente pro tribunali; quod fuerit extorta a Judice cum promissione impunitatis; quod non constet de delicto, cum sola confessio Rei non sufficiat ad condemnandum; quod confessio fuerit erronea &c. *Divus Severus rescripsit, confessiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, si nulla probatio religionem cognoscentis instruat 86.).* Operam igitur dabit Advocatus, ut istiusmodi confessionibus omnem fidem & efficaciam detrahat, & ne clientes accusati negligentia, incuria, atque solertis defensionis defectu

F 2 dam-

-
- 85.) C. 24. de Accusation. FARINACTUS de Inquisit. lib. I. tit. I. q. II. n. 47. OLDEKOP quæst. criminal. decad. I. quæst. I.
86.) L. I. §. 17. ff. de quæstion.

damnum irreparabile accipiant 87.). Neque enim omnes captivi, Constantia Socratis sunt præditi, qui licet innocens esset, Lysia tamen, qui in dicendo præstantissimus habebatur, defensionem sibi oblatam respuit, ac bonæ conscientiaë testimonio fretus, hilari animo cicutam bibit, ac mortem suscepit. Processus quidem istius forma non adstringitur ad apices Processus Civilis: non enim datur terminus probatorius peremptorius; admittitur repetitum examen etiam post rotuli publicationem &c. Non tamen nimium solliciti sint Advocati ad reos variis artibus defendendos in perniciem Reipublicæ.

Cujus varia sunt species:

§. 73. Variæ sunt defensionum species. Singulas afferre non patiuntur angustiaë hujus libelli 88.). Oriri defensio potest *ex Jure*, forte *ex præscri-*

87.) In C. II. de hæret. Advocatis & Tabellionibus prohibetur, ne operam aut patrocinium hæreticis præstent, scilicet in statu Pontificio.

88.) Vid. SEBAST. GUZZINUS tract. ad Defensam Reorum. PELLEGRIN. Prax. Vicar. p. 4. sect. 10. JACOB. BOURICUS tract. qui inscribitur *Captivus*, sive *Enchiridion defensionum*.

scriptione viginti annorum a die commissi criminis 89.) : *ex Facto*, quod delictum omnino non fuerit commissum; vel quod potuerit licite patrari, forte ad necessariam defensionem, casu vel errore; quod vulneratus non fuerit mortuus ex vulnere, sed ex alia causa, præsertim si supervivat quadraginta diebus post vulnus acceptum. Potest excipi contra personas aut dicta testium, vel contra modum eos recipiendi; quod Instrumenta ad probandum delictum producta, fuerint confecta in iudicio civili, quæ non probant in criminalibus; quod de eodem crimine fuerit alias inquisitus & absolutus, non tantum ex defectu probationis, sed ex capite innocentia; quod delictum sibi fuerit a supremo Principe remissum; quod saltem minuenda sit poena ratione ætatis minoris, vel senectutis; ratione iusti doloris, metus, provocationis, ignorantia, mandati Superioris: fundatur etiam defensio ex defectu rationis, ob amentiam, ebrietatem, somnum, justam iram. Ad has exceptiones stabiliendas, &

F 3

accu-

89.) Vid. infra Tit. de Poenis.

accusati innocentiam comprobandam admittuntur testes etiam inhabiles, & intestabiles imo conjecturæ & præsumptiones 90.) ; sufficitque dubia & semiplena probatio. Unde unus testis pro reo evertit perfectam accusatoris probationem, ut reus ad mortem damnari non possit. Quamvis non admittatur juramentum pro supplenda semiplena probatione criminis, admittitur tamen intuitu Rei, qui innocentiam suam exceptione opposita semiplene probavit. Cum igitur Defensio Reorum adeo sit favorabilis & privilegiata; debet Judex eam non solum, si rogetur, admittere, sed etiam ex officio testes pro Rei Defensione examinare, etiam si Reus non petat: nec unquam concluditur in tali causa criminali, ubi agitur de vita hominis, vel de alio gravi præjudicio ipsius. Eo autem hæ defensiones tendunt, ut Reus vel exceptiones suas probet, vel justam suspicionem, in quam ex indiciis in Processu Informativo prolatis adductus est, a se amoliat, quam Pur-

ga-

90.) L. merito. 51. ff. pro socio, ibi: *plurimumque credendum est &c.*

gationem vocamus. Id tamen non permittendum, ut accusatus adversarium suum de alio crimine accuset, donec se ipsum purgaverit, nisi objectum crimen meram rationem exceptionis habeat 91.).

§. 74. Si igitur dictis jam modis In. *Fit etiam* *dicia nondum plene enervata sint, lo- per Pur-*
cum olim habebat Purgatio Canonica, gationem
vel vulgaris. De hac egimus in Se-
ctione priore Tit. I. §. 7. Tit. XXVI.
§. 309. seq. Purgatio Canonica fit per
Juramentum Purgationis, quod non qui-
dem ad decisionem causæ, sed ad
abolendam omnem suspicionem ad-
hibetur, quæ in aliquem cadere vi-
detur de commisso crimine, aut de
quodam defectu, macula vel impedi-
mento, ob quod deberet excludi ab
officio, dignitate, sacris Ordinibus
&c. Exemplum habemus in actis IN-
NOCENTII III. Pontificis contra Epi-
scopum Pragensem 92.), ubi in cau-
sa criminali non admittitur quidem
Procurator neque ad agendum, ne-
que ad defendendum: nihilominus

F 4

quia

-
- 91.) L. 5. ff. de publ. judic. L. 1. & 19.
C. de his qui accus. non poss.
92.) C. 15. de Accus. quod extrahitur ex
INNOCENTII Lib. V. epist. 28.

quia Reus citatus non comparuit, auditus est Procurator ad excusandam absentiam Rei: ipse autem Reus admissus est ad Purgationem Canonicam propter contumaciam & infamiam ab accusatoribus iniustam.

Canoni-
cam:

§. 75. Vocari solet *Purgatio Canonica*, quia Sacri Canones eam invenerunt, ad excludendas purgationes vulgares ferri candentis, duelli &c. 93.). In Capitularibus & Legibus veterum Germanorum occurrit frequens ejusdem mentio: de antiquis autem modis ejusdem agunt passim Commentarii ad Jus Canonicum 94.). Hodie ubi usus ejus viget, deberet fieri per juramentum, quando quis est diffamatus, vel suspectus de crimine, vel impedimento aliquo, quod contra ipsum non potest plene probari. Locus huic purgationi est apud Personas, quarum bona fama magnopere est necessaria, uti sunt Clerici, Religiosi, ac etiam Laici, praesertim in
causa

93.) C. I. XV. q. 5. & tot. Tit. x de Purgat. Canon.

94.) EMMAN. GONZAL. ad C. 16. de Purgat. Can. n. 5. DU CANGE Glossar. V. *Juramentum*.

De Processu Defensivo. 89

causa hæresis 95.). Extra causam hæresis, Purgationem hanc merito eliminatam esse ab universa DEI Ecclesia, tenent aliqui 96.), quibus nolim universim assentiri. Adhibetur solum in rebus arduis, etiam in criminalibus: quamvis enim in his, ut dictum, non concedatur actori Juramentum suppletorium, concedit tamen Judex Reo purgatorium, modo Actor non attulerit tanta indicia, quæ sufficiant ad torturam. Hoc Juramentum nec actor remittere, nec reus, cui indicitur, referre potest. Eo utitur etiam Camera Imperialis in causis fractæ pacis 97.). Jurare autem quis debet, se non commisisse objectum crimen, vel non laborare defectu, de quo habetur suspectus.

§. 76. Circa formam præstandi hujus juramenti bene notanda est doctrina INNOCENTII III. 98.): dum enim

Ejus forma,

F 5

Archi-

95.) Julius Clarus. lib. V. recept. sent. §. fin. q. 63. n. 4. & 5.

96.) SPATHARIUS de modo corrigendi Religiosos tr. 3. c. 12.

97.) Ord. Cam. p. 2. tit. 10. & Concept. nov. ord. Cam. p. 2. tit. 11.

98.) Lib. 16. epist. 158. quæ relata est in C. fin. de Purg. Can.

Archiepiscopus accusatus de Simonia, venditione Justitiæ atque incontinentia, jussus esset Juramento se purgare, offerebat se ad jurandum hac forma, videlicet, *quod immunis sit ab illis criminibus, de quibus fuerat infamatus.* Suspiciabatur Pontifex, eum sub hac forma intelligere, quod immunis sit ab iis criminibus, tanquam dimissis per pœnitentiam: unde formam illam reprobavit, utpote indiscretam, temerariam & ineptam. Cum autem Archiepiscopus formulam a Delegatis Pontificiis sibi propositam acceptare nollet, juxta quam credebat se obligari ad asserendum, quod a nativitate sua nunquam passus fuerit lapsum carnis; ideo INNOCENTIUS moderando hunc rigorem, jussit jurare sub hac forma, quod Simoniam, venditionem Justitiæ, atque incontinentiam minime commiserit, postquam ad Archiepiscopalem promotus est dignitatem.

Adhibitis §. 77. Sicut autem infamatus, vel
Compur- suspectus præstare debet Juramentum
gatori- veritatis de innocentia sua; ita etiam
bus. deberent alii honestæ famæ & vitæ
 Compurgatores, pro causæ & personarum qualitate, pauciores vel plures,